cam aut Ariſtotelicam, aut, ſi vetera forte nomina ſordeant, Verulamianam: Thomas Hobbius ſub init. 111. object. agnoſcat quidem veritatem primæ Medit. Carteſ. ſed de eadem incertitudine ſenſibilium diſputâſſe Platonem, inquiat, & alios antiquorum Philoſophorum, ideoq; ſe nolle excellentiſſimum authorem novarum ſpeculationum nomine illa vetera publicare (NB. Carteſium ad hæc reſpondere, iis ſe uſum eſſe non ut pro novis venditaret &c.) Antonius Arnaldus D. Theol. Sorbonicus, in principio ſtatim IV. tarum object. miretur Virum Clariſſimum (Carteſium puta) idem pro totius Philoſophiæ ſuæ principio ſtatuiſſe, quod ſtatuit D. Auguſtinus Lib. II. de lib. arbitrio c. 3. &c. Sanè quòd corporum prima & communis materia nihil aliud ſit quàm extenſio, trina dimenſio, ἀόριστον διάστημα, jam olim docuerunt ex Ariſtotele Græci, & ex his B. Anteceſſores noſtri, teſte Philoſ. Altdorf. Diſp. II. p. 61. & ſeqq.: Formas ex accidentium Categoriis maximam partem eſſe petendas, ac nihil aliud quàm materiæ varias diſpoſitiones, varios partium nexus, varios motus, eandem Græcorum ſcholam conſtanter docuiſſe propediem ſi volet Deus alia Diſp. de Artis & Naturæ Sororia Cognatione docebit; nec in Democriti acroateriis ignota erat eadem hypotheſis, cujus atomi quoq; re ipſa eædem ſunt cum particulis materiæ Carteſianis, niſi quòd his inſuperabilis illa ſoliditas denegatur quæ iſtis tributa fuit: Ariſtotelis φύσις ἀνάλογος οὖσα τῷ τῶν ἄστρων στοιχείῳ II. de Gen. an c. 3. ſive θερμότης ἐν τῷ παντὶ οὖσα III. Gen. an. c. 11. ſive διὰ πάντων διήκουσα ἔμψυχός τε καὶ γόνιμος οὖσα Lib. de Mundo cap. 4. quid à Materia Carteſii ſubtiliſſima differat, nunquam potuimus videre: Gravitatem elementarium corporum jam olim *Empedocles* à cœli ambientis rotatione deduxit, ut hodiè Carteſius, teſte Ariſt. II. de cœlo c. 13. & Zabarella de motu Gravium: Tonitrua, fulmina, & fulgura ex nubium colliſione lapſuque ſuperiorum in inferiores provenire, & bruta animantia cogni-